

I. N. J.
 DISSERTATIO MEDICA
 DE
**Prophylaxi Pestis
Dubia,**

PRÆSCITU ^{Quam} ORDINIS MEDICI,
 PRÆSIDE
D. IOHANNE BOHN, P.P.
 ET FAC. MEDIC. DECANO,
 PUBLICÆ DISQVISITIONI EXPONET
 D'AVID Heermann/ Görliz.
 D. XIV. AUGUSTI MDCCXI.



LIPSIAE,
 Literis BRANDENBURGERIANIS.

hol. spec.
 46, 2a

morbus 216



L N. J.

§. I.



Vi Artis Medicæ præcepta tradunt,
eamve exercent, in genere equidem non
minus partis Hygieines, quam Therapeu-
tices, rationem habendam, monent; per
illam, ut Sanitas seu status corporis na-
turalis integer conservetur morbiique avertantur, per
hanc, ut in Morbum seu Statum præter naturalem dela-
psus homo pristinæ valetudini restituatur, & vitium cor-
pori molestum commode expellatur seu tollatur. Verum
ubi ad specialiora deveniri debebat & in hypothesi de ne-
gotio hoc agendum, Doctrinam de Sanitate tuenda Me-
dicorum plerique satis perfunctorie & confuse admodum
explicant, ut proin haud mirum, quod Studium sibi a
Morbis prospiciendi a plurimis negligatur, & nemo faci-
le tantam valetudinis custodiendæ curam gerat, quantum
quidem thesaurus hic pretiosissimus cætera bona antecellit.
Id est, pauci hunc in finem consilia Medicorum petunt, ne-
que hi occasionem sortiuntur, regulas Artis sanitatem tu-
endi ut applicent; ast tunc demum hos in auxilium voca-
mus,

mus, ubi Valetndo conturbata ac perdita, nobis illud Celsi. cap. i. dictum credentes vel abutentes, quasi sanus homo, & qui bene valet, & suæ spontis est, nullis se obligare legibus debeat, neque Alipta egeat &c. cum tamen consul-tius & securius foret, morbum non admittere, quam ad-missum expellere. Nonnulli equidem medicos consulunt, eorumque præsidium implorant, qui infirmiore & lubri-ca valetudine gaudent, & qui, ne in morbos hos vel illos graviores præcipitentur, metuunt: a perfecte sanis vero nihil ejusmodi compellationum nobis obtingit, nisi forte aliquid Epidemii & Contagiosi Civitatem vel Provin-ciam invadat, & a quo, propter causam externam com-munem, pares molestias ac periculum timemus.

§. II.

Inter quas tamen occasiones Constitutiones pestilentiales crebriores sunt, quibus imminentibus ac e-mergentibus quilibet in Arte nostra querit asylum, prom-ptos etiam ad consilia ferenda & præsidia prophylactica sub ministranda illos offendimus, qui eandem exercent, ju-vat quoque hos Magistratus, Civium salutis curam geren-tis, autoritas. Unde factum, ut Pestilentiae Prophylaxin du-plicem consignarint Loimographi, communem nimirum seu popularem, & singulorum: quarum nimirum illa im-pediat, ne pestilens Contagium ex vicinia in Civitatem seu Provinciam devolvatur, vel admittatur, nec admis-sum per hanc latius explicetur; haec vero Civibus atque Incolis prospiciat, ne istud hos adeo facile inficiat, seu ut hi constitutionem pestilentialem absque sui læsione ac im-pune magis ferant. Prioris Prophylaxeos Leges ac modos recensere atque discutere in præsentiarum mei haud facio, majoris minorisve efficaciæ: disquisitus potius in mo-menta præservatoria, quæ singulis vulgo & hincinde com-mendata atque obtrusa legimus.

§. III.

§. III.

Nunquam defecerunt Consilia antipestilentia, prolixiora satis aliquando, publica non minus auctoritate, ac privato conatu, exarata, & in his adeo multifaria consignata remedia præservatoria, ut per hæc non tam levari, quam opprimi, videantur, qui ad calamitosâ ejusmodi tempora fuerunt reservati, Medici æque ac medicam opem implorantes. Et negotii hujus occasione, quod in Chymia Billichius obseru. & parod. Chymiatr. dedicat. desiderat, de Medica pariter arte dolendum puto: sc. hanc non minus medela generosiore, ac illam Chymia, indigere, quæ vitia & labes ejus tollat, proin non tantum addat, quod deficit, sed demat quoque, quod abundat, seu exuperantias, quæ medentibus ac medelam anhelantibus impeditamento sunt, discutiat. Sane ambiguus hæreo, utrum sensuum & judicii libertas potius, an publica utilitas, periclitetur, si Scriptorum industriæ seu libidini tantum concedamus, nihilque propriæ indulgeamus, quæ eorum Commentariis s. præceptis aliquid addat, aliquid horum inimutet, ac de eo ambigat; Id est, singulare penes nos stupiditatis argumentum cuilibet ominari licebit, in solis aliorum assertis si acquiescamus, & a populari nutu mere pendeamus, nihil nobis ad Artis notitiam comparandam atque perficiendam reliqui esse credamus, vixque extra tritam semitam pedem ponere ausi in erroribus avitis s. inveteratis & procul dubio ad posteritatem seram transituris, inertes confesscamus atque immoriamur.

§. IV.

Describitur Medicina illius, quod deficit, ap. positio; & quod exuperat, sublatio: cur non in hac ipsa

A 3

Ar.

Arte quædam abundare, quædam deficere, perspicimus? Cogitarunt hactenus & per diversa secula de ejus incremento scripturientium plures, pauci inquisiverunt, nomine illius Syntagmata talia foveant, quæ exturbari, commodius & salutare magis foret: ita ut de ipsa Arte plus demereri mihi videantur, qui exuperantias incongruas, quam qui defectus, innuant, hinc de illis potius exteminandis seu delendis, quam corrigendis his, allaborent, proin etiam hoc nomine inter Artis cultores strenuos referendi.

§. V.

Scilicet hoc ipso arrogantiore ævo, quo quilibet ignorantiam seu infirmitatem suam fateri detrectat, & quæcunque conscribit, scientiæ singularis fœtus credit, plerique ignorantia non levis documenta produnt & properando cœcos catulos pariunt: dum pro veris tradunt, de quibus ipsimet, nisi stupidioris plane ingenii, dubitant. Illis Scriptoribus condonare mallem, qui talia bonâ fide ex Commentatoribus, quorum fides ad canonicam autoritatem per Lectorum credulitatem evecta, describunt: his vero carbonaria fide subscribere, Viri ingenui ac probi haud puto, neque, nisi vitio & piaculo, verti poterit cunctis, qui meliora perspicientes deteriora sequuntur & sua faciunt, aliisque falsa pro veris obtrudunt. Decem, nisi plura, remedia contra unius Morbi insultum, ubi de Materia medica agitur, recensentur ac deprædicantur: dum nihilominus neutrum, necdum unicum, horum experientia fida comprobatur. Qualis vanæ garrulitatis intuitu Commentatores ejusmodi non absimiles sunt agyrtis jaētatoriis: licet in eo ab his recedere videantur illi, quod ex pluribus unam, hi ex uno plura, promittant præsidia, utri-

trique tamen per levitatem frivolam decipient, & penes prudentiores fidem, quam querunt, perdant.

§. VI.

Hæc evidentius declarandi argumentum in præsentiarum concedet Prophylaxis Pestis individualis, adeo in vulgus æque, ac penes illos, qui in Arte Magistri censeri gestiunt, decantata, & de generatione in generationem propagata: cuius nihilominus genium & virtutem, si, seposito præjudicio, disquiramus, nos nihil omnino in negotio hoc scire ut largiamur, Ratio sana & Experientia fida jubet. Nullum profecto mihi hactenus legere integrum fuit Commentatorem Medicum, qui hujus argumenti Scholis introductory non approbarit, nisi quod unum alterumve forsitan tantum momentum circumspectius trutinaverit. Credunt Posteri, quod Antecessores crediderunt, hinc ab illis perperam exscripta assensu præcipitante comprobant: saltem, ne his minus scire, adeoque Existimationi suæ Scholasticæ derogare, videantur, turpe Doctori autumentes, si de Prophylaxi Contagii pestilentialis rogati suam in Arte peritiam abunde & prolixiore consilio comprobare nequeant.

§. VII.

Plura hujus præcipitantiæ documenta hinc inde advolant, si illa tantum lustremus Scripta, quæ biennium elapsum concessit, ab ejusmodi quoque hominibus, qui pestilentiale Constitutionem nullam experti, de Cladis nihilominus hujus phænomenis ac præservatoriis atq; curatoriis remediis multa edisseruerunt, & amplos horum Catalogos in publicum ediderunt: non ut Contagium pestilentiale ab hoc avertant, sed ut Contagium in plures disseminatum scripturiendi Cacoëthes in semet suscepturn testen-

stentur, aut, quo mitius cum his agam, ut in Catalogis libriis publicis locum inveniant, & ignaros in sui admirationem rapiant.

§. VIII.

Præservatio , accuratius & secundum regulas Artis differendo, Causarum externalium & occasionalium tantum rationem habet, hasque avertere satagit: & si hoc præstare nequeat, frustranea omninolerit dicenda. Proin si Contagium, terrorem aut metum inter illas potiores concipiamus, seu admittamus, quæso , quid remediorum expectationi Medici ac Vulgi respondet, aut respondere valebit, i. e. avertendis illis binis adæquatum reperietur prophylacticum medicum vulgo traditum ac creditum? Neutrū sc. horum , et si in corpus nostrum agunt, minime tamē delent, seu ex atmosphæra deturbant miasmata contagiosa, multo minus contra terrorem simileve exinopinato eveniens obfirinant, vel obfirmare valent individuum.

§. IX.

Sub contagii fomite pestem inquinare , penes plerosque, ut opinor, in confessio est: an autem sine illius suspicione atque concursu pathemata animi solitaria eandem unquam patrebat, illorum disquisitioni concedo. Saltem ratione prioris, quod nihil, nisi miasmatum pestilentialium congeries seu contextus existit , mihi ambigere integrum erit, num ejus activitati adæquata , illamque avertendi ac infringendi sufficientia , sive natura, sive ars, suppeditet remedia? Flagri cœlitus a manu Dei in pœnam & cladem populi immisi, ac cuius natura atque vis omnem intellectum humanum longe superat. Prolixiore equidem serie talia recensentur a Loimographis & a plebe credula approbantur: de eorum fida nihilominus efficacia dubitare jubet.

Ratio

Ratio pariter atque Experientia. Dubitant non minus de
 eorum existentia, sibique nulla cognita ingenue fatentur
 Medici majoris peritie, *Palmarius* v. g. *Unzerus*, *Sennertus*,
 &c. sc. quæ propria & specifica virtute pestilenti veneno ita
 repugnant, ut accedente Numinis Divini favore, omnium
 vel plerorumq; cujuscunque conditionis hominum corpo-
 ra aduersus ejus insultus præmunire, atque etiam hoc, si
 forsitan ingressum, extingvere & dispellere possint. Plurium
 loco sit *Sanctorius Medic.* Stat. Sect. i. apb. 138. edisslerens:
Qui alind remedium pro vitanda Peste instituunt, quam
fugam, vel sunt homines ignorantes vel volunt eruscare. Cui
ex modernis addo Sydenhamum, de morb. acut. S. c. 2. Pro-
phylaxin, ut verbo attingam, non sum nescius, etiam ad illam
Antidotalium calidorum usum passim depredicari: ast, quo
emolumento, adhuc probandum restat. Imo Vinum liberius
ingurgitatum aliaque fortiora præservativa, statim horis die-
tim assumta, complures, qui alias salvi intactique verosimili-
ter permansissent, in pestem conjecterunt. Hoc est, ambi-
guum relinquitur penes Saniores, numne eorum vius plus
noceat, quam prospicit. Postquam plusquam evidens mul-
tos Infectionis præservatoria æque accuratoria jactitare ar-
ceana a Seculis oriunda & comprobata: quos nihilominus
cum familiæ notabili parte virulentia pestilens sustulit. Et
si forsitan unus alterve Electuario quodam, Pulvere, Trochi-
scis, Ealsamo &c. utens, Pestem evaserit, minime tamen
liquet, hæc vera & genuina esse prophylactica, seu per illa se
fuisse præservatum: cum plures alii superstites maneant
manserintque, qui nihil horum aliorumque assumserunt;
multi contra sub eorum usurpatione interierint. Adeo ut
probabiliter aut Fallaciam non causæ ut causæ, committant,
aut uni tantum vel alteri hoc illudve prophylacticum ve-

re extitisse salutare, innuant, i. e. a particulari ad universale perperam concludant.

§. X.

Hoc est, vix satis fidæ cunctæ illorum videntur Observationes, qui remedia præservatoria tantis encomiis commendant: cum mens nostra nihilominus semper in ambiguo relinquatur, an qui sub eorum usu Pestilentia virus non experti, incolumitatem suam his, non fato seu aliis causis, in acceptis ferre debeant. Postquam potissimum non unico & simplici salutem nostram confidimus, sed a pluribus demum eorum copiis & cohortibus, seu vastis Compositionibus, illam expectamus: ignari manentes, quodnam horum altero præstiterit: amuletis v. g. suffumigiis, odoramentis, alexipharmacis & nescio non quibus simul utentes; in singulis tamen Virtutem præservandi singularem concipientes, sicque nos aliosque decipientes, quos informare nihilominus & contra morbi hujus contagiosi impetum præmunire satagimus. Totidem a diversis Consiliorum Scriptoribus sub magnis & infallibili bus præconiis commendata eorum legimus & usurpata novimus evporista: moriuntur interim sub hac illave pestis periodo totidem illis æq; instructi, ac non instructi: superstites incertos linquentia, quantum virtutis s. efficaciam illis concedendum. Infida sane sunt experimenta, laceræ sunt ejusmodi observationes: quæ de antidotorum equidem applicacione, haud tamen de effectu usurpatorum testantur; frequentiorem illorum usum recensent, efficaciam eorum nescientes, aut audacter saltē jactitantes. Quorum hoc in illis maxime metuimus, qui Constitutionem pestilentialem nec unquam, nec quantum valeant, aut non valeant, a se commendata, experti, antidota ejusmodi parant, distrahunt, ac cum schedis

concl.

commendatiis in longinquum ablegant: postquam nimirum
hos non tam emptores contra Contagium præmunivisse,
quam loculos suos auro & argento locupletasse, deprehendimus.
Neque Præservativum aliquod certum dici mereatur,
nisi quod in domo infecta, & in iis, qui circa ægros
versantur, crebro tentatum & approbatum fuerit.

§. XI.

Equidem ejusmodi prophylactica specifica nonnulli
asserere sat agunt per hoc, quasi DEus nullos producat im-
mittatve morbos, quin simul appropriata contra hos lar-
giatur remedia: proin antipestilentialia quoque creata &
concessa esse ab eodem misericorde non minus ac vindice.
Cujus tamen illationis fundamentum forsitan illud
Sydenhami, evertit, cœteris quamvis affectibus p. n. a Dei
benignitate certa amoliendæ causæ morbificæ ratio sic
monstrata, Pestilentiae nihilominus, tanquam enormio-
rum delictorum flagello acerrimo, non, nisi lubricam ad-
modum & versabilem, adjunctam deprehendi. Pestem
non minus ac alios morbos a DEo produci concedimus,
sub hac tamen disparitate, quod hujus causa naturalis qui-
dem pariter, simul tamen extraordinaria & latens magis
sit; proin, annotante *Palmario*, aliquod equidem pesti-
lentialis veneni antidotum si forsitan creatum, hactenus
tamen in Naturæ sinu occultum seu in manu Dei teneri;
dum remedii hujus genus nulli mortalium per totidem
secula innotuit, aut penes nullum practicorum consigna-
tum legimus, nec illos ipsos, qui asserti hujus fautores, se
tale nosse, saltem gloriari observamus. Neq; adeo simpli-
citer concedere possumus, cœteris præter Pestem morbis
concreata esse, aut saltem deprehendi, remedia, quod com-
muniter supponunt: postquam contrarium per multa Mor-

borum genera; oppido declarare datur , illorum sc. quibus nulla arte , ni forsan aliquando per Naturæ singulare robur & fatum , mederi licet , Phthiseus v. g. Sphaceli , Calculi , Cancri &c. quos incurabiles ideo ajunt.

§. XII.

De cœtero absonus & sanæ rationi repugnare vide-
tur ille Vulgarium Medicorum mos , quo remedia di-
versa universaliter contra futurum seu imminentem Luem
commendant : cuius indolem seu genium nihilominus
neutquam proin nec remedia , non , nisi per futurum seu
actualem Experientiam , comprehendere poterant . Con-
scribuntur Ordinationes pestilentiales , & in his Consilia
atque Præsidia prophylactica recensemus , Morbis quem
saltem exhorrescimus , antequam hujus unguis ostende-
rit , & quem non unius generis esse , hinc inde experimur ,
docent Antecessores : ita ut quæ unius Loci ac Temporis
Constitutioni epidemicæ observabantur congrua ac cura-
toria , posteriora tempora eludant ; hinc probabile fiat ,
virtutem quoque prophylacticorum , quæ olim forsan sa-
lutaria extiterant , aliquando & posthac irritam evasuram .
Falluntur proin , qui pristinis & Antecessorum præserva-
toriis posteriorum salutem committunt , & levi seu dubia
admodum armatura instructi hostis adeo ferocis impe-
tum temere expectant .

§. XIII.

Suppono porro ex consensu Practicorum sagaciorum ,
in Peste perinde , ac aliis morbis acutis , tendentias naturæ
criticas perperam minime esse conturbandas , & motus a-
nomalas ob extraconcitatos illius Synergiae maxime impe-
dimento esse ; quid aliud agit , qui prophylacticis incipi-
reenter utitur ? numne eadem facilitate per hæc Corporis
tex-

textura æque ad admittendum, non arcendum & devincendum hostem præparatur? Unde securius agere videntur, qui pauca sibi familiaria reddunt auxilia præservatoria, quam qui multa postquam posterioris generis homines a peste frequentius corripi & gravius agituri, quis singulari studio ab eodem affectu immunes degere allaborantur. Evidens hoc evadet ex Sangininis missionum administratione præservatoria, quam Plethoricis & lautiore vietu fruentibus communiter svadent, sub prolixioribus circumstantiis depraedicat *Quercetanus*, plerisque nihilominus haud adeo proficuum contigisse, innuunt diversi Veterum ac Modernorum.

§. XIV.

Probabiliter, quod, quemadmodum de cœteris cuiuscunque generis toxius hactenus observantum fuit, illa haud plus minusve in corpora plethorica, ac inania, seu evacuata, agere, sed eandem in utraque virulentiam exercere: nec Venum pestilens, si quendam insultet, a majore minoreve sanguinis plenitudine frœnum patitur. Neque a Plethora aut alio quodam (vitio depletionem hujus alias postulante, Pestis generatur: proin nec Sanguinis eductio nos ab eadem tutos reddere valet, quam sola virulentia determinata, nobis incognita, patrat. Et quamvis non illa ratione Sanguinis missionem prophylacticam suspectam reddere velim, quod ex sententia Vulgi exhaustis per illam viribus, cor auram malignam minus potenter dispellat aut subigat, sed hujus qualitatem deleteriam promptius admittat: contingit tamen forsitan, quod calamitoso hoc tempore incerti simus, numne Venenum pestilens hoc vel illud corpus jamdum subintrarit atque insensibiliter infecerit: cum hoc quandoque per plures dies in eodem

latitet & gliscat, donec inflammam seu actum erumpat, atque hoc quidem sub Sangvinis depletione facta. Quenadmodum Diemerbroeck 2. de peste cap. 8. § 9. act. 4. hist. 16. 28. a se frequentius observatum commemorat, Venæsectiones, quoque in optime sanis & plethoricis institutas, damnosissimas evasisse: quod abunde docuerint iustitia plurimorum, etiam plethoricorum, exempla, qui, cum præservationis gratia venum sibi pertundi curassent, brevi post Peste correpti fuerint. Idem in Constitutione pestilentiali nostrate superiore in Studio ac Fœmina quadam observavi, quibus dum ex mera petulantia, & ut se a Pestis invasione (ut credebeant) tutos redderent Sangvinis missioni se exponebant, proximo mane Pestis insilibat: simileque testatum mihi faciebat illius temporis Medicus nobis pestilentialis ordinarius, diversos sc. paulo post ejusmodi Venæsectionem prophylacticam pestis virulentiam expertos fuisse. Aut hoc ad minimum hinc inferre conceditur, Sangvinis educationem præservatoriam ut plurimum esse frustraneam.

§. XV.

Neque adeo exiguus inconsiderantiae impetus videatur, per ejusmodi Pestis Regimina hæc vel illa Prophylacticorum genere omnibus atque singulis, nulla habita ratione texturæ corporis, collaudare: postquam non omnia omnibus quadrare, in propatulo est, aliaque methodo & per alia remedia tractari postulant Cholerici v. g. & sanguinei præ Phlegmaticis, aliter, quibus Cerebrum & Pectus firmum, præ illis, quibus hæc imbecilliora, sive per naturam, sive valetudinem, obtigerunt, proin non cuilibet quosvis coturnos applicare conceditur. Largior, hæc illave remedia, sive curatoria, sive præservatoria, Consti-

tu-

tutioni huic vel illi fuisse adæquata : quamdiu tamen talia sub Consilii antipestilentialis generalioris concepta plebi conceduntur, numine ab eorum usu plus noxæ verendum, quam salutis sperandum? Quod hæc rerum medicarum ignara discernere nesciat circumstantias, illa permittentes ac prohibentes, i. e. quali temperamento seu solidarum ac fluidarum partium texturæ individuali ista convenient, aut secus: hinc promiscue illis utitur, quamdiu Regulis ejusmodi, autoritate etiam publica evulgatis, cœca credulitate inhæret. Postquam nec in ejusmodi Regiminibus adjectas cautelas ac animadversiones, pro istorum applicatione moderanda quamvis circumspecte satis excogitatas & in se satis perspicuas, v. g. locum hæc vel illa habere in pituitoso, non in bisioso, applicare novit artis ignarus, seu qui se cholericum, phlegmaticum discernere nescit. Liquores ac dilos miasmata pestilentialia subigere, e Consilio ejusmodi legit quilibet, legit pariter, talia minus quadrare hypochondriacis & quibus systema nervosum laxius: se nihilominus Hypochondriorum & Nervorum infirmitate laborare, haud dijudicat, nec dijudicare novit.

§.XVI.

Quemadmodum nec nobis fanis, & plebe sagaciорibus habitudinem corporis nostri intrinsecam, in horas insensibiliter mutabilem illius temporis & sub atmosphæra suspecta adeo accurate discernere licet: quin hæc illave a peste præservandi ratio, ut intempesta saltim, nobis perniciosa eradat. Et nonne sub eodem cœlo funesto levis interdiæta commissus error, aut ab extra conceptum miasma pestilentiale, stulta intrinseca eosque immutare potest, ut hujus illiusve prophylactici usus, ratione nobis plus minus evidente, dissolvendo, inspissando, &c. damnum indeclinabile

bile inferat: motus Naturæ forsan posthac sufflaminando aut festinando, tendentiam ejus, ad Bubonem v. g. salutarem, in Carbunculum gravioris periculi aut desperatam Petechiarum efflorescentiam, adigendo seu dirigendo? Postquam imprimis per experientiam convincimur, illorum, qui crebiori & immoderatori prophylacticorum usui se manciparunt hactenus, si Lui ipsi exponantur, formam deteriorem longe deprehendi, præ illis, quia ita aut omnino ignorunt, aut in iis frugaliores extiterunt.

§. XVII.

Accedit, Diatheses illas præternaturales, quæ corpori nostro a causis occultis, sub virulentia aut deleterii idea, imprimuntur, sicut varii generis, ita nec unius generis antidodo cedere; sed præter alexipharmacum communia, quæ omnibus omnino venenis creduntur contraria, specialia quoque & quæ uni alterive tantum deleterii speciei aversantur hisque arcendis ac depellendis appropriata magis existunt, a Scriptoribus recenseri: v. g. lignum Gvajicum, radicem Sursæparillæ, Herbam Suponariæ & Mercurium diversimode præparatum ac applicatum Lui Venereæ; Mucilaginosa & pingvia, v. g. mucilaginem Cydoniorum, radicis Althæ, Lac, Emulsiones, Butyrum, oleum Amygdal. dulc. &c. Mercurio sublimuto, Aquæ Forti & Canthuridibus; Acetum atq; Castorium Opio &c. &c. Quia tamen prioris generis Alexiteriis autoritatem universalium jure & vel ideo concedere haud possumus, quod præter illa specialia & huic atque illi toxicò adæquata postulentur & observentur alexicaca, i. e. universalia illa non omni virulentia resistant: Dubia quoque & minus fida censi debet eorum vis in Peste arcenda & expellenda; posteriorum vero

vero talia quia ignoramus, quæ morbo huic, seu ejus veneno specifica virtute medeantur, in præservatoriis genuinis designandis nos dubios, sine labe imperitiei & jure profitemur.

§. XVIII.

Et si tandem ætiologias præsidiorum præservantium disquiramus, plerosque eorum, qui ab iis tantum sibi pollicentur, in eo consentire deprehendimus, quasi putredinem arceant, seu contra hanc nos præmunitant & quasi lorcent: qualem hypothesin tamen omnes nunc eludimus strenueque diffitemur. Postquam illud etiam tempus, quo aer serenus, purus, temperatissimus & ad concipiendam fracedinem minus dispositus, nobis funestum evadit; neque in Contagio ullum putrilaginis phænomenon apparet; nec per naturam, nec artem, declarari valet, per putredinem cujuscunque gradus venenum ullius generis produci posse. Evolve cuncta eorum, generatur neutrum per putredinem, nec putrilaginem sapit oletve virulentia pestilens, dirissima quamvis. Quibus ita se habentibus plerorumque nihilominus remediorum antiloimicorum agendi ratio in eo firmitur, quod putredini resistant: cuius ætiologiæ connexio nulla existat. Balsamicis vulgo dictis medicaminibus balsamare seu condire contendunt corpora viva, quasi Spiritus vitalis, quem Balsamum vitale ajunt, Embammatis ejusmodi externis virtute conservandi sit longe inferior: eadem corpora per pollinctorum non tam illinire, quam insuccare, & contra miasmata fracida loricare promittunt, ubi nihil fracidi, nullus situs. Unde Balsamica dicta remedia aut in mero conceptu seu mentis commento consistunt, aut non, nisi mechanico.

C

cc

ce, explicari & admoveri valent: qvalem mechanismum tamen Lues hæc attendere nescit.

§. XIX.

Qua occasione non possum non ridere illum corpora contra virus pestilentiale præparandi & condiendi modum, dum pari ratione, ac carnes in culinis a corruptione maceratione cum sale præservantur, illa ne Peste corripiantur, salis frequentiore usu, tueri posse, sibi aliisque persuadent: cum carnium corruptelam & Pestis formalitatem non leve intercedat discrimen; intercedat' pariter falsuram & condituram carnium exsanguium atq; corporis vivi, ne mortem obeat, si datur, præmunimen. Ast cachinno soluto dignum videtur Consilium Guarinonii, quando infumare jubet quotidie bis vel ter corpora atque vestimenta exhalationibus, à Salsugine Salinarum per cocturam elevatis. Et forte ejusmodi conditura vix opus in locis salinariis, quorum atmosphæra tota die noctuque, ad sitim usque incolarum satis molestam, sale turget, ad pestilentes nihilominus aporrhæas refrænandas minus potens. Ne de iis dicam, quorum fluida intrinseca salsedine præternaturali & enormiore scatent, v. g. Scorbucis: quorum saliva & sudor in granula salina sparsius condensantur; quos tamen salsa hæc a Pestis contagio vix tutos præstat.

§. XX.

Haud fidam certamq; magis conditaram prophylacticam nobis promittere possumus a fumo seu Gas Sulphuris, quasi pari ratione, ac vina a vappescentia & situ conservet, contra pestis quoque vim tutelæ patrocinium præstet. Hippocratis hoc euporiston ait *Helmontius*, idemque ut singulare remedium prolixius commendat, si ni-

nimirum Vinum vasi ejusmodi sulphurato, adjecto tantillo salis deliquati, probe infusum & in hoc asservatum quotidie bis hauriatur: quam fabulam etiam nonnulli modernorum magis egerunt ac cecinerunt, quibus tamen nec Rationem, nec Experientiam, applaudere observatum fuit. Turpiter satis hi se dant, dum toti compagi sulphuris hujusve floribus vim antidotalem singularem concedunt; Gas vero seu stagmati ejus acido parem: cum evidenter distare integrum Sulphur a fumo ejus, sive ut tali, sive in stigma acidum congelato, oppido constet, ut mirum sit, Philosophos ejusmodi per Ignem, rebus texture omnino distinctis eandem virtutem assignasse.

§. XXI.

Concretum observamus Sulphur phlogiston ex Bitumine & Sale acido, quorum illud eidem inflammabilitatem præstat, hoc sub & ab ejus flamma fusum Gas ac stigma acidum format; neutrum ergo horum Sulphur dici meretur, sed pars tantum ejus constitutiva utraque existit; hinc, quod Sulphur in corpus assumentis agit, agere nequit Gas, nec vice versa. Ipse met *Van Helmont*, Sulphuris integri æque ac Gas ejus adeo eximius patronus, ac censem equidem Sulphur tria eructare seu depromere heterogenea autumat, fuliginem nigram, stigma acidum & partem sui homogeneam minus inflammabilem aut combustibilem. Sulphuris portionem sub fumo seu fuligine evolantem, quemadmodum sit *in indole pristina*, hoc est pristinum seu integrum Sulphur, ita nec *in Peste ullius valoris esse*, scribit, paulo post tamen & in eodem contextu *Sulphur integrum in cote levigatum*, ad viginti grana per experientiam Hippocratis, pro sudore præservativo concitando, aliquoties in septimana.

assumere suadet. E. quod cum fumo sub Florum specie modo rejecerat, sui oblitus, tanquam alexicacum pretiosum, cum Vino salito propinat: simul interim Sulphuris combusti, & cuius semen omne per flammarum destruetum, Gas seu Spiritum sylvestrem, ob proprietates sui **Concreti**, Pestis antidotum pronunciāt. Cum nihilo minus Gas & Stagma hoc substantialiter minime differre, ex utriusque aciditate communi ac potentia, flores Rosarum, Papaveris erratici, dealbandi, cœruleos Violarum, Cyani &c. flores rubefaciendi, inferri queat; quinimo Spiritus seu stigmata acida Sulphuris, Vitrioli, Salis Antecessores pariter ac Successores *Helmontii*, quo ad virtutem antiloimicam Gas huic hinc inde subornant: &, si differentia aliqua inter bina hæc ex Sulphure, sub ejus deflagratione eructata, concipienda in modo tantum Substantiæ, seu dispari spissitudine, seu volatilitate & fixitate querenda. Discursus ergo hic de Sulphuris vi alexicaca contradictionum & confusionum plenissimus est, proin hanc creperam & ancipitem satis reddit.

§. XXII.

Neque eadem ratione corpora nostra a peste corruptuntur, ac Vina per vappescentiam vitiantur, E. nec utrisque idem remedium quadrare videtur. Id est, Vina, quanvis per sulphurationem sub textura naturali conserventur, virtutem tamen, quam a fumo seu Gas Sulphuris acceperunt, in corpora, quæ illa hauriunt, æque transferri, in dubio manet, & a Vini conditura tutrice, per quam hoc in statu incolumi conservatur, ad custodiā corporis nostri hujusve valetudinis concludere minus licet. Abhorremus, detestamur ac dissuademus mera sulphurata, quod cephalalgiam alioque systematis

ner-

nervosi affectus p. n. concitent, expectamus nihilominus & promittimus ab iisdem tutelam contra pestilentiaz insultus, cerebrum ac fluidum nerveum mox impetuosis petentes. Et si Oenopolas nobis magistros volumus, cur non eosdem prudentius imitamur, dum pro symptomatis a sulphuratione vini emergentibus evitandis, Nucis Moschatæ accensæ fumo cados, vini astervationi destinatos, præparant? adeoque securius forte cum salute nostra agimus, infido ejusmodi remedio illam haud concredentes.

§. XXIII.

Verum, quo ad specialiora magis descendam & hujus illiusve Prophylactici infirmitatem innuam, Amuletorum virtutem primum evolvere conabor, postquam a nonnullis Medicis eadem commendari, ab aliis reprobari, eorumque vim anticipitem pronunciari, constat: quorum singulos nominare, supervacaneum duco, repeti possunt ex Sennerto 4. de febr. c. 5. Unzero Catoptr. pestil. l. 2. c. 9. ac Antidot. pestil. l. part. 2. dist. 3. & Diemerbr. de pest. l. 2. cap. 11. Parantur illa ex variis, imprimis tamen venenosis, aut venenosis creditis, sc. ex Arsenico, Mercurio, aut utroque simul, & quidem vel per se, vel cum additamentis diversi generis, potissimum alexicacis: quibus accedit Zenexton Paracelsi & Helmontii, ex Bufone confectum. De singulis his dubia satis minusque fida deprehenditur experientia, v. g. H. Saxonie de plica c. 53. & Job. Bapt. Gemma de rat. cur. bubon. pestil. postquam ab Hier. Capivaccio intellexerant, in Pestilentia Patavina anni 1576. multis adhibita ejusmodi pentacula parum præstatisse. Quibus Hor. Augenius 3. de peste c. 27. assentitur, quando scribit: multa fieri, quæ diversam habent causam;

sam, quam vulgo creditur. Et *Zacutus Luf.* 2. de med.
Princ. hist. 89. *qvest.* 48. postquam *Fallopii*, qui *Arsenicum*
 in sacculo cordi impositum medicamentum a Deo factum es-
 se, contestatus fuerat, meminerat, Sed videndum, addit,
 num Experientia sit bona? Cum enim multa sint, que in
 pestis præcautione applicantur, auxilia, videndum ad quæ
 referenda sit salus: Ego tunc credam, cum videro homi-
 nem ad pestem suscipiendam aptum, cum pestilentibus con-
 versantem, reprobo utentem regimine, horum solum anti-
 dotorum vi, fuisse præservatum. Bona tamen fide testari
 possum, me Anno 1600. in vasta illa Pestilentia, que *Lusitanos*,
Cantabros, *Gallecos*, *Flandros*, *Afros*, *Hispanos* & cito-
 riores, & non paucos, ut audiri, Orientales provincias
 miserrime affixit, plurimos vidisse peste correptos, imo ali-
 os repente, velut fulmine ictos, emortuos &c. In quorum
 parte levata juxta Cor Sacculus plenus Arsenico diu fuit ge-
 status.

§. XXIV.

Hos secutus *Höchstetterus* Dec. 3. cas. 2. eadem pentacula, tanquam nugas aniles, rejicit, argumentis haud levibus
 instructus. Imprimis vero Experientia nobis nostrisque
 coævis certam fidem fecit, plurimos tempore Contagii
 Amuletorum ejusmodi gestatione nihil quicquam præmu-
 nitos, sed multoties pestentiali lue citius contamina-
 tos, fuisse: dum contra illorum præsidium negligentes
 ab ejus virulentia incolumes evaserunt. Nos in nostra
 Peste, scribit *Dicmerbroek* l. a. annot. i. vidimus indiscrimi-
 natim &que mortuos fuisse illos, qui ista gestabant, atque
 alios, qui illa contemnebant. Quinimo *Helmontius*, in pa-
 radoxis admittendis ac condendis alias per quam' facilis
 tumul. pest. Arsenici & Mercurii usum in Castris Ostendu-
 nis

nis, frustraneum observans eadem disvadet, & loco horum Zenexton ex Bufone, non Paracelsi, sed a Butlero sibi communicatum, commendat : quod tamen alios vanum deprehendisse, oppido liquet, ipse metque Helmontius vel per hoc illud suspectum reddit, dum arcum illud imperfectius ab Hyberno illo sibi traditum perhibet, eo in exilium abeunte, antequam hujus parandi & applicandi rationem integre exposuerit: constet etiam aliunde, Servum & Filios Helmontii peste correptos & extinctos fuisse. Nec vitio ulli verti poterit, qui occasione *Zacuti Lys.* modo allegati in illud paradoxi prorumpit, nec genuinam & fidam Experientiam ex illis, quæ hinc inde circa Amuletorum efficaciam observantur, concipi & formari posse. Dum hi, quos per illa conservatos novimus, non tam eorum virtuti, quam firmæ corporis constitutioni seu Naturæ robori, hoc in acceptis referre debent, vel possunt: forsan quoque non solis his pentaculis valetudinem suam considerunt, sed præcautionibus aliis simul, atmosphærām suspectam vitando, diæta salubri & prophylacticis internis utendo, vacarint; ut dubia linquatur mens, num illorum salus his potius, quam amuletis, adscribenda veniat.

§. XXV.

Angusta ergo satis deprehenditur fides horum pentacolorum, ni penitus concidit: nec illam firmabit Ratio, deficiente Experientia frustra quæsita, aut certe ex plerorumque etiam, qui virtutem illorum approbant, sententia abstrusa maxime, quod eorum agendi modus nos lateat. Illique in hoc concipiendo in adeo diversas & sibi contradictentes opiniones secesserunt, & in negotio hoc se maxime hallucinari testatum fecerunt, prout penes *Hochstetterum, Sennertum ac Diemerbroeck l.a.* legere conceditur,

tur, ætiologias sc. ab illis traditas theoriis & hypothesibus ineptis atque erroneis inniti. Ego missis his nugis ideo maxime de virtute Periaptorum dubito, quod nondum sufficienter declaratum cernamus, an hæc venenum deforis appellens subigant atque enervent? an Spiritibus internis ejusmodi robur addant, vel texturam seu habitudinem concilient, per quam illud ab extra immisum promptius suppressant ac repellant.

§.XXVI.

Prius si ab externis his expectandum, aliter hoc fieri nequit, nisi per modum concentrationis & quasi absorptions: quod non alia ratione præstabunt, æquevis corpora, quæ seminum pestilentiale undique recipiunt, idem tamen eadem facilitate ex se in corpora humana hinc illa quoque, quæ talia gestant, eructant & Contagii vehiculum seu formatum constituunt; proin contra pestem non præmuniunt, sed in eandem præcipitant. Neque metum hunc discutiet, quod observare communiter jubent, ut regioni cordis supra indusum, forsan plura indumenta, applicentur, aut ut, cavente *Horstio 7. obs. 29. & Dec. 10. probl. 9.* in balneo noctu & inter sudandum deponantur, aut postquam aliquandiu gestata, rejiciantur & cum novis immutentur: æque enim per vestimenta crassiora & quovis tempore virulentia in Amuleto concepta, seu ab illo attracta, corpori, quod hoc de collo suspensum tenet, imprimi ac communicari valet. Aut exactissime nosse juvaret momentum, quo virus ab Amuleto attractum fuerit, ut statim ac tempestive rejici queat: quod forte vix sperandum. Multo minus nobis a Periaptis ejusmodi promittere possumus, quod energiam virulentiae hujus simul destruant atque enervent cum vis hoc præstandi in illis nondum comprobata.

§.XXVII.

§. XXVII.

Spiritibus Pentacula hæc singulare robur seu firmitudinem conciliare, aut inquinamentum intus suscepsum discutere, paradoxum omnino videtur: utpote ratione venositatis formalis illis quam exitiosissima & ad discutiendum venenum haustum minus apta. Neque enim *Droetto consil. pestil.* subscribere licet, dum Arsenicum inter Alexipharmacorum numerat: contrarium experientia abunde testante. Nec *Hermio*, quando *de pest. c. 8.* assertit, Cor ad illius contuctum seu perceptionem se potentius contrahere ejusque Systolen præ Diaстole intendi, ut heterogenea morbosa validius expellat, quam admittat seu attrahat, utpote qualis effectus innueret, ejusmodi amuletum cordi seu spiritibus inimicissimum & exitiosum tandem existere. Quemadmodum illi quoque errare videntur, qui usu venenosorum extrinseco Cor venenis quibusvis adsvescere putant, ut sine noxa atmosphærā pestilentiale ferre queat: postquam metuene idem Cor & Spiritus, antequam per veneni consuetudinem ad virus pestilens ferendum præparentur, succumbant ac pereant. Multo minus illis auscultandum, qui per veneni extrinseci & intrinseci similitudinem Zenex ta intrinsecum allicere & educere autumant: cum nihil obstat, quominus venenum pestilentiale latens, utpote extra dubium activum magis, externum Amuleti ad se rapiat, hinc non tam infringatur, quam accessorio novo exaltetur.

§. XXVIII.

Præterea, utut Venena corpori animali seu humano viventi deprehendantur talia, i. e. summe exitiosa, sed tamen mutuo, per intrinsecam tendentium, destruere & unum alterum exturbare, minus censendum. Alias

D

plu-

plura horum in uno Periapto, v. g. pulvis Bufonum cum Arsenico, aut simul cum Mercurio sublimato in illo, quod Job. Rhenanus adeo commendat, ad mutuam sui destructionem agerent, proin veneno pestilentiali arcendo vel educendo inepta evaderent. Aut, juxta Unzerum catoptr. pestil. libr. 2. c. 9. quid impedit, quominus cœtra quoque toxica, v. g. Napellus, Aconitum &c. supra Cor gestata, in amoliendo aut delendo Contagio pestilentiali æque efficacia deprehendantur? dum Arsenicum, Mercurium & Bufones aliquid præ his peculiare habere hactenus nondum evictum fuit. Ne addam, forte nec cuncta venena a cunctis venenis subigi ac domari, dum experientia edocemur, Arsenici v. g. virtutem deleteriam per Mercurium sublimatum vel præcipitatum haud temperari, sed his combinatum aut virulentiam pristinam rētinere, aut cum priore in Butyrum seu Liquorem corrosivum valde facescere: nec Mercurii sublimati corrositas per Arsenicum simileve toxicum, sed per Mercurium currentem, mitigatur ac dulcescit. Quem qui inter venenum recensent, injuriam eidem faciunt, dum plusquam innotescit, sive extrinsecus, sive intrinsecus, applicatum, nisi salibus, sive externis, sive internis, connupserit, nihil delaterii ac corruptivi alere, vel exerere, ut ut Toxicorū albo perperam insertum.

§. XXIX.

Qua occasione, ac dum Hydrargyrum venenorum classe jure excluditur, nec inter Periaptas, quæ per suum venenositatem in auram pestilentialem agunt, hoc locum inveniet. Minime pro illo interpellabit vis resolvendi evidens & Lactis defectum penes Fœminas emendans, ut potte qualis haud deleteria dici valet: nec, quod Begninus

tyroc.

tyroc. chym. l. 2. cap. 13. tradit, Idriæ equidem loca adsita annuatim fere pestilentiam infestare, pagum tamen hujus, Goriz dictum , ubi Mercurius abunde foditur , ab hac nunquam non immunem manere: nec quod *Sennertus* sibi relatum addit, quibusdam testim Avellanæ, qua Hydrargyrum gestabant, Peste correptis ruptam fuisse. Ambigere nimirum de posteriore hoc phœnomene concedit contra. ria experientia , in simili occasione annotata in ejusmo- di subjectis, quibus Lue contaminatis juglandis cortex cum Hydrargyro integer mansit. Salus vero hujus pagi inter media Pestilentia jacula adeo perennis forte non Mercurio compactiori hujusve veneno , sed fuliginibus ejus e venis exhalantibus , & atmosphærām repellentibus, aut aliæ minus sensibili causæ , erit adscriben da.

§. XXX.

Pari modo forsan de Bufonibus foret differendum, utpote quorum cadavera horumque recrementa exsucca & aida nullum amplius virus fovent, gummi Tragacuntha vero ac Cera obvoluta, nihil ejus exhalant, proin nec per hoc seminium pestilentiale avertunt vel infringunt. Et hodie in vulgus innotescit, Bufonum pulverem, casu ma- gis, quam consilio omnis venenositatis expertem, ac diureticum potentius , in Hydrope consummato, salutari suc- cessu fuisse assumptum, ut penes *Solenandrum S. 5. consil. 15. obs. 19. Wierum de Lamiis cap. 35. §. 9. & Petræ: nofol. harm. diff. 35* legere datur: proin etiam hic, quicquid sub Zene- xti nomine in peste agit, sine veneno agit.

§. XXXI.

Ova Zephyra promit *Helmontius*, dum cum aliis Hyacinthum & Sinaragdum in nudo pectore gestare sva- det: quarum priorem gemmam posteriori per experien-

tiam anteponit *Dodoneus, Bootius &c.* posteriorem præ altera commendat Ille, & quidem sub deliro religionis documento, quod in Pectorali Pontificis Hebræorum olim non frustra legatur Sapphyrus, excluso Hyacintho. Pensans secum nihilominus mirus ille paradoxorum faber, gemmis destitui pauperes, quibus nihilominus Pater pauperum præ divitibus prospexerit, ambiguus hæret has similesve gemmas verum Pestis Zenexton credere. Quin potius levi credulitate *Guardiolæ, Chirurgo Hispano*, fidem adhibuerit Succinum rubrum, quasitoto triennio, quo Præfectus Xenodochii in obsidione Ostendana extiterit, se per hoc in columem conservari, sodalibus suis e medio sublatis, de prædicanti. Modum hoc salutariter utendi ita expavit, ut primo ad pulsus corporis principiores seu planetarios, utrinque sc. ad tempora, ad carpos, malleolos & sinistram mammam, Bitumen hoc fricitur, hinc de collo in pectore studiose gestetur.

§. XXXII.

Ego hunc Guardiolam, quod Remedii tanti, ab immensa Bonitate pauperibus maxime destinati coadjutores suos non participes reddiderit, in calamitoso adeo negotio secum constitutis, aut impium, aut mendacem, auguror: in Manum vero Helmontianorum credulorum & de illo verbosius ratiocinantium gratiam hæc subnecto. Virtutem prophylacticam hujus succi ex vegetabili marini, post Experientiam nominati Chirurgi jactitatam, Helmontius petit ab ejus textura porosa & vi tractoria, non limitata, sed generaliore, per quam quælibet leviora, hinc pestilem etiam auram, alliciat; it quod Ambra, in Spiritu Vini soluta, vulneribus venenatis desperatis medeatur. Id est, perinde, ac linterum Buboni pestilentiali affixum hinc Con-

Contagium arripiat atqve in alios propaget , frictio ejusmodi mumiale adferat dispositionis coaptationem seu Venenum arcendi aptitudinem.

XXXIII.

Eandem vim Succini prophylacticam minus leviter extollit Bernhardus Croneburgius de peste: ast neutrius promissis respondet effectus , nec ego fidem do. Haud diffiteor mirorve , tam singulare crescens , seu adeo diversæ propaginis concretum (quod nimurum arborum resina a maris salzedine coagulum ac ultimam manum recipit,) cum Spiritu Vini solutum , seu Essentiam ejus, Ventriculo , intestinis ac Cerebro gratum & consortativum existere pharmacum: neque tamen adeo facilis mihi persuaderi patior , non Hyperbolē sapere, quod singulari vi trāctrice corpus hoc salino - bituitosum signatum, ejusmodi præservativa insimul a peste vi potestate sit daturum, per quam extrinsecus admotum e locis membi isq; nostris pestem extirpet. Trahat secumque lever levia quævis Ambra, trahat fortassis etiam ad se odores seu effluvia, e quibusvis corporibus expirantia , propter difformitatem tamen evidentem , quæ ipsi cum cunctis rebus materialibus , odoribus ac juxta Helmontium , cum venenis pestilenti contagio intercedit , dubitare mihi & cuilibet integrum erit , num auram pestilentialem undique alliciat? i.e. tqtam atmosphærā illius , qui Succinum secum gestat , ab inquinamento maligno liberet? Jusqve dum hujus Manes hoc per experientiam huic dubitationi contrariam, sufficientem , sine qua omnis theoria invalida, probent. Hosqve ipso smet in arcano hoc approbando hæsitare , hinc auguror , qvod de magnet. vuln. cur. inter planetarios seu principaliores

tus, quibus Succidet afficandum Guttur, loco hujus in *tumulo pestis* peccus sinistrum numerent. Recenset prolixioribus circumstantiis experientiam, quam jactat, **Gvardiolæ**, propriam silet *Tumuli pestis Conditor*, forsan nihil efficaciz in Carabe expertus. Sit medicamentum cephalicum, sit uterinum, vulnerarium &c. in ambiguo tamen relinquitur, an per vim tractoriam contra pestem præmuniat?

§. XXXIV.

Me haud latet, præsidiorum horum prophylacticorum efficaciam singularem, ac tantum non miraculosam diverorum Medicorum autoritate & longa annorum observatione cognitam ac comprobataam existere, quorum cunctorum fidem in dubium vocare, & mihi religioni duco. Nec diffiteor, multis concretis naturalibus singulares Antipathias ac Sympathias congenitas esse, quibus se mutuo efficiant atque alterent, hincque varias eorum promanare actiones, quarum ætiologias explicare difficile admodum contingit, quinimo ad Amuletorum potestate idem fortassis accommodare licet. Quod si nihilominus sine præjudicio & sub accuratiore disquisitione rem perpendamus, plus vanitatis, quam efficaciz, huic deprehenditur subesse: postquam mihi aliisque per Experientiam, supperius adductam, innoscit, plurimos sub pestilentiali constitutione ab ejusmodi Pentaculorum gestatione nihil fructus seu tutaminis nactos fuisse, alii non raro citius a Lue hac correptos ac defectos, contra multos hoc remedii genus adsperrantes, alias interim circumspectiores & cautiores segerentes, a Contagii insultu superstites conservatos mansisse. Ita, ut Experientiam Experientiaz opponere, non adeo difficile foret, potius.

tissimum si annotetur, crebrius unum alterumve tantum experimentum, non ex pluribus & judiciose observatis formatam Inductionem, pro solidiore Experientia venditari. Metus & animus dejectus, quantum Contagione vigente noceat, contra Confidentia ac Fiducia quantum profit, malum hoc experti utrinque testantur: Amuletorum usus E. hoc tempore concedatur, minusque disvadeatur, si non pro corpore, saltim animo, firmando illorum præprimis, qui præjudicio ejusmodi remediorum occupati: ne Contagium nimis & præter rationem horreant, ac præmuniti hoc destituti a levissima forte occasione offendantur & præcipites dentur. Secus interdum loqui cogimur cum vulgo, ac sentimus cum eruditis.

§. XXXV.

Nollem pariter fidem frivole præstare Fonticulis, quos multi Medicorum Prophylacticum eximium ajunt, *Ingrassius v. g. H. Saxoma, F. Hildanus, Horstius, Sennertus, Glandorpius, Diemerbrock & Hodges &c.* non tantum, qvod alii eorum efficaciam in dubium vocant, v. g. *H. Augenius, Fr. van der Meje / atque Höchstetterus*, inter qvos pri. or cavet, ne, qui Cauteria gestant, cum hominibus infestis commercium habeant: sed quod ipsamet Experientia illam suspectam reddat, aut saltem de eadem ambigere jubeat; nec *Diemerbrockius l. z. c. g.* Fonticulorum encomium adeo audacter proclaimare audeat: *Quandoquidem, pergit, in hac peste non unum, sed plures, etiam cum fonticulis mortuos fuisse novimus.* Nec diffiteor, quod Cauteriorum admiratores pro ratione supponunt, nonnullis antiqua ulcera, quæ in cruribus habuerint, conservationis favorem præstisile: de emissariorum horum, si quem Lues pestilens invaserit, dolore insigni mox conqueratur hic,

il-

illaque tabum plorent pravum, nigricantem ac graveolentem, si potissimum antidoto statim sudorifero ille sibi prospiciat. Ego aliique hujus urbis Medici ac Chirurgi idem in supera Peste testamur: testari tamen nobis pariter liceat sublestam eorum in diversis fidem, quos, non obstante fonticulo, Peste correptos & extinctos recordamur. Memini cujusdam Typographi, Viri quadrati & robusti, quem, fonticulum in brachio gestantem, statim in principio illius fatalis morbi, cum Uxore & Filia, idem invaserat, qui que cum Uxore & quidem emissario tali destituta eluctabatur, decedente Filia juvencula: tamen post bimestre fatum idem, sub fonticuli pristini cultura, sibi funestum experiebatur.

§. XXXVI.

Modum Cauteriorum in peste agendi quod concernit (si forsau alicujus virtutis) seminaria hujus non tam arcere ac dispellere, quam admissa exturbare, proin, accuratius loquendo, non tam a morbo hoc præservare, quam eundem sanare, illa videntur: perinde ac Bubones, Anthracces, &c. materiam morbificam ex toto recipiunt atq; eliminant. Sive hoc perficiant per irritationis speciem, qua vasa sibi propinquiora ad venenum exceptum cum qibusvis corporis inquinamentis evomendum disponant. Ast eo ipso, dum excommuni omniam consensu concedimus, venenum illatum non, nisi per metastasin criticam, eliminari, hujus autem locum & modum determinare cum in Artis potestate haud sit: Naturam Artis vestigia undiq; secuturam, difficile dictu? Qvin imo, si aliquam huic vim in hoc passu indulgemus, Crisin & tendentiam Naturæ, quæ in medela hujus morbi efficacissimum ac tulissimum est remedium, turbare videbimus, sine dubio non in salutem, sed exitium, ægrotantis

tis. Emergunt illis quoque, quibus Cauteria inusta, Bubones, Carbunculi &c. E. irrita sunt illa, dum Natura Artis Emunctoria negligit, aliaqve loca, in qvæ venenum depo-
nat, qværerit; aut illa forsan Naturæ molimina eousque suf-
flaminant, ut hæc insuffcienter ex peblendis tumoribus fa-
tiscat. Quale quid in puerò quinque vel sex annorum an-
nctavi, qui propter insignem oculorum Lippitudinem
fonticulum ab aliquot mensibus gestans, ex Peste Bubo-
nem in Inguine sinistro equidem monstrabat, qui tamen
profundius hærens minus decenter elevabatur, manante
per illius ostium ichore consveto, & ægro præter opinio-
nem quarto die fatis cedente.

§. XXXVII.

Et ne occasione *H. Augenii* superius allegati huc re-
petam, per Ulera hæc medicinalia æque, ac per meatus na-
turales, malignitatem pestilentialem se ab extra facile in-
sinuare posse: haud penitus tamen improbabile videtur,
horum villas aliquando irritare non in toto tantum conce-
ptum, seu quod hoc jam dum pervasit, venenum, sed eadem
quoque immedie ab exta ac particulariter feriens: quia
non post graviora demum symptomata & inquinationem
totalem, sed a primo mox invasionis momento, Fonticu-
lum lacessere solet. Quam quidem meam conjecturam
haud omni ratione destitui puto, si addidero, per conta-
ctum corporeum vel ipsorum peste decumbentium, vel
horum cadaverum, vel utensilium aut cujusvis apparatus
Anthraces similiaque Pestilentiae phœnomena in ipsa par-
te contrectante produci atque emergere, antequam in cor-
pore reliqua evidens contingat mutatio, per poros cuta-
neos illias Contagio se insinuante. Chirurgi si quidem me-
mini, qui, cum Bubonem subalarem manu explorare con-

E

ten-

tenderet, & sudor illius loci horrorem ipsi incuteret, in medii contrectantis manus digiti extremitate pustulam nigricantem, Carbunculi primordium, sibi exortam comprehendit, symptomatis consuetis successive supervenientibus. Pariter Thomson, Medicus Londinensis sui temporis Celeberrimus, cum Cadaver Lue infecti dissecando evisceraret, finita operatione manus sinistræ, tibio illius adhuc tepido madefactæ, torpore ad rigiditatem usque perculsus secessit: irrum pentibus scilicet per manus poros, a tempore cadaveris laxatos, miasmatis vafris malignis, ad totum sensim exorrectis. Similis huic videtur Observatio Foresti dum 6. obs. 22. perhibet, juvenem quendam, cum domum, in qua ante sex menses pestis nonnulli decesserant, a se conductam, ingressus esset, manumque in scrinium quoddam, forsitan n. rite repurgatum, immisisset, a tela araneæ, super illam decidente, pustulam pestiferam obortam, postmodum somnolentiam, horrorem & febrem validam, sensisse. Spectat huc, quod Diemerbræck obs. 119. refert, Pharmacopœum quendam anno post exantlatam Pestem, cum stramen, cui ægrotantis quondam lectus incubuerat, dextro crure ab uno latere in alteruni, pro exquirendo certo instrumento, dimoveret, naribus mox situosam quandam fracedinem simulque dolorem circa inferiorem pedem urentem sustinuisse, in sequente vero die in eodem loco pustulam nigricantem, & sub hac Carbunculum pestilentiale latitantem visam fuisse, sine febre aliisque molestiis. Pulsum ac corpus pestis laborantium, dum hi sudant, vel per malitiam morbi madent, contrectare, periculosum valde non sine ratione ajunt Loimiatri, Contagio, viisciditate obvoluta, contrectantis cuti facile adhærescente, ejusdemque poros

clan-

clandestine subintrante. Bina hujus rei Exempla recenset *Gieslerus de Peste Brunsvic.* obs. 128. unum Medici Collegæ, qui in tangendo pulsu infecti sensum quasi formicantem in digito se percepisse, narraverat, in sequentibus symptomatis lethalibus obs. 105. commemoratis, alterum, quia ad scopum præsentem minus collimat, mitto.

§. XXXVIII.

Qualia hujus generis dum de impressione malignitatis pestilentialis per cutem integrām facta, abunde testantur, rationi haud omnino repugnabit afferere, vel opinari tantum, paria seminia per cutem, a cauterio erosam, interiora subire posse: proin Symptomata, Contagionis tempore circa ostia fonticulorum obvenientia minus firmiter probare, se necessariò & semper ab intra, sed ab extra etiam aliquando, evenire. Hisque observatis non absolute concludendum, esse Fonticulos emissaria adæquata, pro virulentia intus congesta ad se allienda & rejicienda, ut triviale & plerorumque consensu approbatum hactenus afferuit dogma, & per consequens nec præservatoria, nec curatoria, pestis instrumen-ta evacuatoria.

§. XXXIX.

Inter Prophylactica communiter depromunt Suffumigia varii generis, simpliciora & composita, domestica & officinalia magis, cuncta forsitan satis suspecta & minus tuta. Cum vix concipi queat, quin talium plerique, frequentius administrata & excepta, Cerebrum ac Pulmones evidenter lœdant, hinc Vertiginem, Cephalalgiam, Dyspnœam & Cordis anxietates, ad suffocationis metum, oppido patrent. Qui infirmitate, tantum a.

I quali horum organorum alias laborant , ex falignibus ac vaporibus ejusmodi gravioribus se facile offendit , ipsi met conqueruntur ; sive fuerint mere sulphureorum & acidorum , sive heterogeneorum & fumosorum magis : quinimo nec perfectius sanis omnino quadrant , partes illas vitales earumque functiones dum in his quoque sensibiliter turbant . Fugimus maxime & dissuademus sub endemica ejusmodi constitutione atmospharam crassifrem & exhalationibus heterogeneis turgentem , sereni aeris cupidi : paramus nihilominus talem magno conatu & singulari studio per fumos ex Cornubus & Ungulis animalium , ex soleis calceamentorum attritis , Ligno Fraxini , Juniperi ac hujus Baccis , Sulphure , Nitro , Thure , Succino &c. accensis atque deflagrantibus , ac per aceti vajores super lateres calentes profusi .

§. XL.

Ætiologiam eorum & rationem a Contagio præservandi fingunt alii , quasi ex aere ambiente miasmata maligna exturbent seu præcipitent : alii , quasi poros ejusdem Atmosphæræ eousque repleant ac constipent , quo minus in la admittat ac recipiat . Neutrum horum nobis persuaderi concedit horum summa activitas , per quam , si corpora & supellectilia solidiora & ipsammet corporis nostri compagem spissiorem promptissime subeunt , aeris fluidum æque ac effumationes vi ignis concitatas , pariter meabunt ac iis adhærescent , ut fumi quoque ejusmodi Pestilentiarum vomitem idoneum præstent : perinde ac aerem nebulosum atque crassiores quemvis pestilentia libus miasmatis ferendis ac transportandis receptaculum ac vehiculum commodum præstare credimus , hinc tenuorem ac puriorem quaerimus ac hanhelamus . Imprudentiae

dentiæ proin accusandi nos eo magis, dum per præconceptam, de suffumentorum utilitate singulari, a Prædecessoribus opinionem, ad spissitudinem perniciösam magno studio per fumos ejusmodi aeri inducendam adigi nos patimur.

§. XLI.

Ita ut, si dicendum, quod res est, suffimigia fortassis plus noceant, quam prosint, & verendum veniat ne a fumis, præservationis gratia studiosius concitatis, plus periculi in nos retunderet, quam ab ipsis exhalationibus virulentis. Ne addam, ex eorum exuperante usu genitam Nauseam, Cephalalgiam, Vertiginem &c. imprudentioribus ac meticulosis suspicionem & Contagii suscepti persuasionem fallam aliquando parere, hoc ipso tamen infectioni realem viam sternere, i.e. per terrorem in Pestem conjicere. Et si absque omni præjudicio Experientiam negotii hujus Arbitrum petamus, corripiuntur ac prosternuntur Peste æque infumati, quam qui in cubiculis & atriis minus fumosis degunt: Contra immunes ab ejusdem servantur Contagio, atmosphærām sinceriores ac serenam magis colentes, quam Fumaria quærentes. Hinc, an tantus fumigerorum seu suffimigantium usus, difficulter determinari poterit, nisi meritis pro avitis dogmatibus tenacius inhærere quis malit: i.e. dubia ac minus fida relinquitur Prophylaxis a suffimigiorum farragine expectanda. Et quoties non contingit, fumos ejusmodi medicatos personis ex improviso accendentibus, seu prætereuntibus saltem, horrorem propinquioris Contagii & vicinitatis infectæ incutere: quemadmodum non semel factum recordor, ut illi, qui masticatoriis seu sublingualibus activis magis, et si savoribus, delectabantur, appropinquantibus formidinem nauseabundam.

concitarint, eosdemque hac ratione tantum non infectio-
nis periculo exposuerint, si imprimis illorum anathy-
miosin per idiosyncrasiam quasi horreant.

§. XLII.

Nec advertere hoc loco inopportunum erit, sive
expellendis & enecandis, per evaporationes ac fuligi-
nes; variorum insectorum generibus Patres-familias fu-
erint solliciti, horum singulis exterminandis non quas-
vis earum hos nuncupare, naturam & genium eorum
diversum noscentes: & Pediculis extirpandis Campho-
ræ inserviunt exhalationes, vestimentorum Tineas ar-
cere dicitur foliorum Juglandis & Lupuli odor, cum
ligni Pini exhalationibus, Cimices expellit fumus Sul-
phuris Ceræ intermixti, Bufones fugat nidor Axungiae rota-
rum, Mures fumus Origani accensi & serpentes fumus radi-
cis Liliorum, Ungulæ Equi & Solearum vetustarum calcea-
mentorum; ut adeo cuilibet horum aliorumve animan-
tium suus stet determinatus seu specificus hostis. Nos ni-
hilominus discutere & arcere contendimus pestilens virus,
cujus geniuin omnino ignoramus, per totidem ac infinitas
effumationes, inepto conatu & irrito successu: nec un-
quam ambigentes, numne harum fuliginum aliqua speci-
es corpus ad illud admittendum potius disponat ac præpa-
ret, quam contra idem præmunit? Paucis, Effumationes,
ut tales, prout nunquam, ita nec noctempore, prosunt,
Cerebro sc. ac Pulmonibus molestæ: nec per specificam
suam texturam, quia raro unius, sed ex diversorum concre-
torum fulginibus mixta, & suffimenta per plurimum simpli-
cium compositionem parantur, quorum quod specifice
magis agat, nondum innoteat.

§. XLIII.

§. XLIII.

Approbo moderatum suffimentorum usum, huncque non in Aere libericore & patentiore, quasi hunc contra Contagii appulsum defendat, aut infectum ab inquinamentis malignis depurget & ad pristinam sinceritatem reducat; sed in cubili, ægrotantium exhalationibus recrementitiis & nauseabundis referto: quo ab illorum odore præmunitæ nares horum, quibus eum decumbentibus intimius intercedit commercium, Medici, Chirurgi &c. ab harum fracedine non adeo facile afficiantur, i. e. insuetæ ab ægris elevatae transpirationes aliquomodo subigantur. Quamvis eo ipso, dum suffimigiorum sub Constitutione ejusmodi epidemica penes plebem introducta & per immutabilem consuetudinem canonisata deprehenditur administratio, religio videri queat, eandem penitus dissuadere, timidi-usculis imprimis: quo nimirum horum ædes & concamerationes ab exhalationibus sensibilioribus per insuetudinem suspectis per illam liberentur; aut, quo perinde forsan, ac a Periaptorum gestatione, animosiores reddantur inquili-ni, nec contagium adeo formident.

§. XLIV.

Consultum non nullis viderur ac in more positum ob-servamus, ut iisdem ægrotantium cubiculis aliisque ædi-um infestarum locis Lac dulce, in scutellis latioribus expo-nant, sibi firmiter persuadentibus, hoc per singularem quendam Magnetismum, contagiosa miasmata, e corpo-ri ægri exhalantia; advocare & tantum non suffocare, antequam ad atmosphærā latiorem aliasque personas feran-tur, hinc tegmine seu pellicula ex cæruleo livescente ob-velari. Huic substituunt alii Aquam calidam, minus ta-men vaporantem, hinc tepidam potius, circa ægros hinc inde

inde eundem in finem illam collocantes , qvo nempe Venenum pestilens ipsi immergatur. Verum Lernis Saturninis etiam hæc merito accensent sagaciores, vel quod pellicula illa virulenta in Lacte non semper compareat, vel quod concentrationis seu absorptionis illius effectus, seu adstantium indemnitus vix semper observetur : i. e. contagio afficiuntur, qui ægrotis propiores, Lacte & Aqua æque depositis, ac non depositis. Dubium insuper manet, an pellicula illa, si qua Lactem obtegat, virulentarum expirationum , an Cubiculi Atmosphæræ uodosæ, aut suffimigiorum aliarumqve sordium, productum sit ; postquam in aliis & salubrioribus locis talem Lacti pariter obvenire oppido constat. Æque anile & inane est hoc experimentum, ac dum ova recentia concussa & in conclave infecto posita intra Nythemeron corrupti & putrescere ajunt. Cum ob squalorem loci, in quo hæc asservantur, hoc facile fieri queat, fiat quoque alio tempore & in salubriore loco, nec tamen semper adeo brevi, intra temporis nominati angustiam. Denique nonne idem Lac vel Aqua, quam forte attraxerat, virulentiam eadem facilitate diuittere poterat? perinde ac alii miasmatum pestilentialium fomites sibi immersa seu impressa denuo diffundunt.

§.XLV.

Ejusdem indolis videtur Cautela monitumve quarundam, per quod Contagio vigente Pistoribus panem calidum adhuc divendere, sub supplicii ultimi pœna, interdicitur : ex supposito, nihil pane ejusmodi venenum ab extra potentius attrahere, hinc in comedentes derive re. Sane rigidior justo hæc Lex, & cuius transgressio ni pœna tanta haud proportionata dicenda: alias in ipsa pi-

pistrina & prope præfurnium mox talis attractio foret metuenda, h. e. panis furno extractus inter frigescendum a miasmatis virulentis, plus minus propinquis facile inquinaretur. Non multum repugno, a pane calido, ori agonizantium (quod nonnullis in more) imposito, expirationes horum virulentas excipi, adeoque ne latius & in totam domum haec explicentur, inhiberi: hujusamen rei longe alia est ratio, quam præcedanez. Excipit forsitan panis fuligines funestas e faucibus morientis, quibus propinquius admovetur: attrahere vero paria miasmata ex Atmosphæra latiore, nondum comprobatum.

§. XLVI.

Haud majoris virtutis pro miasmatis pestilentialibus avertendis apparent Odoramenta plus minus svaveolentia, sub diversa forma quæ naribus hinc inde admovere jubent; ni forte simul detimentosa: sive ex acidorum, sive sulphureorum ac aromaticorum genere fuerint. Ut pote a quorum sollicito & crebriore usu metuendum, nec cum exhalationibus odoriferis svavioribus, quos tunc arduo molimine anhelamus, evaporationes simul pestilentiales per Nares Cerebro ac Pulmonibus ingeramus. Quinimo horum nonnulla, v. g. Aceta, nervoso generi æque ac pulmonibus infesta existere, neminem later, quibus potissimum ex alia causa morbove Organa haec minus firma obtigerunt. Moschum in specie *Valescus de Taramæ* sub Constitutione pestilentiali fugiendum monet, quod de hac & aliis fragrantibus alii pariter Medici, v. g. *Diemcratæck,*

F

græck,

bræk, afferunt, ab eorum usu multos pejus se habuisse, eis-que adsvetos præ aliis citius fuisse infectos, testatum facien-tes; seu *svaveolentia* efficere, ut cum iis pestiferi halitus simul promptius recipiantur, quam depellantur: quod ad talium occursum potentius ac crebrius inspiremus, proin cum aëre uberiore, huic interimixta minima contagiosa copiosius ad interiora ferantur. Accedit, odoriferorum quorumvis usum nimium, seu abusum, spirius animales facile distrahere & ad tremulentia non infimum gradum, gravedinem ac *cephalalgiam* conturbare; sicque primordia quasi Pestilentia ponere. Neque adeo inepta nonnullis annotatum legimus, illos, qui gratis odoribus adsveti, si gravi & molesto fœtore inopinato percellantur, ab hoc gravius horrere & affici præ illis, qui *svaveolentia* naręsque suas minus studiose curant.

§. XLVII.

Pastoribus, Medicis cœterisque, quibus ægros visi-tare & cum illis agere officii ratio jubet, temperatorum odoramentorum moderatum cultum vix disvadeo, pro-nausea, quam ex fracedine excretorum alvi, sudoris alio-rumque recrementorum facile patimur, avertenda seu dis-cutienda; extra quales occasiones tamen illa potius ne-gligenda acrejicienda, ob rationem explicatam: nisi for-san in timidiuſculis seu formidulosioribus subjectis, quæ ex cuiuslibet odoris insveti occursu mox terrentur, & pestis in-volatum sibi præpropere fingunt: quamvis aliis fortuito ac-cidentibus curiosior ejusmodi odoriferorum versura itidem Pestis timorem incutiat, imo per hunc terrorem in eandem conjiciat.

conjiciat. Quod quidem ab ejusmodi odoriferis magis metuendum, quæ per individualem Idiosyncrasiam abhorret unus alterve, talia vero dum tolerare occasio jubet, in deliquia & palpitationem Cordis, vertiginem &c. Peftis antesignanos atque comites individuos, conjicitur.

§. XI IIX.

Etsi nec illi Prophylaxin adeo salubriter trahant, qui, ad alterum extremum inclinantes, fœtores seu frachos halitus commendant, hisque contra Contagii insultum se firmare student, Hircum v.g. olidum in ædibus alunt, & per graveolentiam cadaverum atque cloacarum atmosphæram ejusmodi virulentam potenter emendari autumant aliisque persuadent. Quasi nimirum unum fœtoris genus alterum subigat seu hujus vim infringat, graveolentia spiritibus præsvavioribus plus roboris concilient, hos per anathymiales suas salino-sulphureas sigendo, & contra infectionem præmuntiant. Quippe si Experientiam ducem sequamur, hæc sane abunde comprobat, pluribus nostris ædibus ducem illum gregis in proxima e quidem peste ornamento extitisse, eandem tamen ab illis harumve inquilinis minus feliciter declinasse. Hircum, ut ajunt, mulget, qui a Capri barba ac graveolentia tutamen sibi promittit, hinc nasum ejus nidori supinat: & cur non gratior atque efficacior foret puellarum hirquitallientium cohabitatio præcaprarum ejusmodi fœdo ac spurco Admissario? Sero proin & temporis demum progressu sapientes non adeo avide, ac in principio, quæreritabant hos Custodes cornigeros, imo hos ad caulas remittebant. E

quamvis nemini contradicere in eo malim , quod unus fœtor alterum suppressat vel destruat: quia nihilominus exhalationes pestilentiales inodoræ sunt naresque minus feriunt, olfacere haud nequeo, qua ratione, cui nihil interest olidi, a fœtore corrigi vel discuti possit. Graveolen-tia pariter ac svavcoletia spiritus non (ut communis fert traditio) ligare aut figere, sed utraque hos potius conci-tare & in motum abripere, multifariis & quotidianis edoce-mur experimentis, v. g. dum fœtores graviores noctur-num quoque somnum interpellant , Hystericas & Lipo-thymia obrutos fœtores diversi generis, & spirituum tor-porem solvunt. e. g. Asæ fœtidæ , Galbani, Corii & plu-marum accensarum. Ac contradictionem non levem involvit , fœtores Nares atque Cerebrum petere & contra Contagii insultum firmare, spiritus tamen, per hoc undu-lantes, non afficere, non commovere, & quæ nugæ hujus generis aliæ. Sollicitus est Magistratus prudens & suo-rum civium curam gerens, ut viæ publicæ a stercoribus animalium & sterquiliniis quibuslibet curatius munden-tur, quod immundicie hac, tempore imminentis vel fla-grantis Luis , civitati nihil perniciosius contingat : quini-mo ex Historicorum non minus ac Medicorum relationi-bus variis liquet, per diuturniores obsidiones, strages bellicas ingentes aliasve occasiones putrilaginosorum fœtorum noxas pestiferas hinc inde fuisse concitatas. Fœtorem ita-que redolere videtur hoc de fœtorum putidorum emolumen-to assertum , hinc studiosius discutiendum.

§. XLIX.

Qua occasione sternutatoriorum usum , num sc.
Con.

Contagionis tempore undique salutaris existat, non possum non in dubium vocare, postquam ex Physiologicis innotescit, ejus evidenter molimen ultimum a violentiore expiratione dependere, adeoque aerem per tendentiam hanc potentius explodi, neque ab hac expiratione extraordinaria, sive spontanea, sive per ptarmica concitata, pulmonum interiori compagi aut sanguini aliquid fore metuendum. Quid tamen ad elisionem hanc strepiferam plus aeris compressi requiritur, & quemlibet docet Experientia, illam antecedere ac ad eam profundiorrem & majoris conatus anhelitum inspiratorium prærequiri: nullam nobis concipere, vel præstare, poterimus sternutationem, quin sub hac aeris plus, hinc plus contagiosi, quam extra hanc explosionem, pulmonibus ingeratur, proin in ancipi nos haerere, num sub Sternutationis strepitu ab inspiratis plus metuendum, quam ab expiratis levaminis sperandum, i.e. sub inspiratione sternutatoria plus maligni ad interiora converti, ac sub expirationis tendentia elidi. Ad minimum, cavendum esse puto, ne in atmosphæra suspecta degentes vel medicamentis, vel ulla ratione, sternutationem moveamus, sive que ancipi huic effectui occasionem præstemus.

§. L.

Catharticorum, sive ανω, sive κατω, evacuantium, usum Prophylacticis fidis annumerare, vel ideo dubito, quod venenum pestilens non avertant, nec exturbent, viscera, humores ac spiritus contra illud haud præmunt, interim vires plus minus enervent, ac sub calamitate hac epidemica ad Hypercatharses cruentas faci-

le disponant. Evidem communis est traditio , Purgantia ac Sudorifera corpus a superfluitatibus nocivis liberare , sicque , si non immediate , mediate ad minimum , hoc contra illam tueri seu præservare : in specie vero humores pravos , in corpore congestos , causas variorum Morborum , & per quos illud ad Pestem admittendam præparatur , evadere ; proin de eorum evacuacione seu expurgatione ante omnia esse cogitandum . Quod ut securius fiat , illam prudentiam maxime commendant , ne Catharticis potentioribus Corpus exagitetur , sed lenioribus & mitius tantum agentibus negotium evacuatorium committatur , Aloëticis v. g. Agarico , Rhabarbaro &c. quod per fortiora humores violentius agitentur spiritusque exhaustantur & confundantur , sicque corpora ad pestem potius præparentur , leniora vero sine tanta violencia alvum subducant & cocochymiam paulatim atque blandius educant.

§. LI.

Ast eo ipso , dum , ex confessio plerorumque , Contagium pestilens pura pariter , ac impura , corpora , invadit , errare illi videntur , qui a Purgantibus crebrioribus immunitatem a Peste pollicentur . Ajunt , Subjecta impuriora levi de causa in Febres aliquosque morbos (putridos dictos) conjici , hinc ad Pestem facilius suscipiendam apta reddi : qualis in Cacochymicis graviores quoque putredines & pejora symptomata concitet . Quia tamen Pestis cum Putredine nihil intercedit commercii , nisi quatenus vitalitatem inferendo illa hanc introducit ; Putredo , si quæ Febribus

bus similibusque affectibus subest, (de qua tamen olim jamdum dubitatum fuit) ad pestem potentius inclinare seu disponere nequit; nec omnis Cacochymia putredinem pedissequam seu comitem habet: nec ab hac in Pestis enormiora semper symptomata metuenda. Et ejusmodi Corporis puritas seu humorum pravorum eductio sub constitutione pestilentialiforsan sine summo periculo vix acquiritur; quod hi ad orgasmum hoc tempore sint procliviores, leviter stimulati, alvi fluores exitiosos moveant, quo magis cacochymica corpora extiterint. Et eo ipso, dum minus liquet, numne aliquid jam dum virulentiae conceptae in corpore latitet, verendum manet, illud ab evacuante etiam leniore non sine periculo commoveri atque actuari seu intendi.

§. LII.

Mitiora purgantium non, nisi in primas vias agunt, & per consequens harum duntaxat cruditates detergunt, pravos autem humores, canali sanguini inexistentes, seu Cacochymiam universalem magis, vix educunt ac corrigit, utpote ultra istas sphæram suam minus extensis. Neque, si Cacochymia hæc majoris gradus & pertinaciæ observetur, huic solvendæ blandiora purgantia semper sufficiunt, potentiora vero nunquam tuta & Pestis tempore prorsus fugienda sunt. Adeo, ut inferendum veniat, Purgantia Contagii tempore aut minus tuta, aut frustranea seu vana, contingere: neutra ratione præservatoria congrua sive immediata, sive mediata, nuncupari mereri.

§. LIII.

§. LIII.

Sudores virulenta equidem inquinamenta, intus forte suscepta, expellunt, cujus ratione, si quis locum suspectum visitaverit, & vel ex hujus conditione, vel aliis occasionibus, v.g. terroris, alterationem sensibilem penes se sentiat, tales mox concitandi: eosdem vero corpus contra illorum ingressum præmunire ac firmare, asserere mihi haud præsumo. Contagium siquidem hoc singulis momentis, & interdum quidem insensibiliter plane corpus subire eique Pestem inferre valet: unde vel infectionis momentum nescientes sudorifera oportune propinare aut adhibere nequeunt; vel, si præ metu ejusmodi invasionis quasi perpetuo & omnino præservative his crebrius utantur, metuendum pariter, ne per illa vires consumantur, & humores modo ad fluorem nimium disponantur, modo præter naturam inspissentur, utrinque vitalitati derogetur, ac aut veneni promptiori admissioni, aut majori hujus activitati, fores panduntur. Non desunt illorum exempla, qui vel intra Nycthemeron a sudore Peste correpti, immo mox gravioribus symptomatis expositi, & remedium hoc prophylacticum vanum experti fuerunt.

§. LIV.

Miror interim Diemerbræckiam, dum in contextu cap.
20. l. 2. ut singulis quinque vel septem diebus qvis assumpta Theriaca aliove sudorifero sudores in lecto clementer promoteat, consulit, Paracelsum tamen stringit, quando
Præ.

Præservativum optimum & præsentissimum ait, singulis
senis diebus portionem certain sudoriferam, qualis sex die-
bus præservet, bibere & in lecto strenuo sudare: siqve val-
de contradicentem sibi exhibit. Singulis quippe senis di-
ebus sudorifero corpus commovere pro pestis in sultu ar-
cendo minus adæquatum erit: postquam intercularibus
qvoque & tantum non qvovis momento virulentia hujus
ingressus corpus patescit, hincque Sudoriferorum qvoque
usus prophylacticus mere fortuitus ac dubius erit dicen-
dus.

§. LV.

Nec qvæ eundem in finem commendant, Antidota
seu Alcxipharmacæ fida omnino dici poterunt, non tantum
quod a plerisque Scriptoribus & Practicis ingenuoribus
de eorum existentia dubitetur, ac quænam illa specia-
tim sint, ignoretur; sed abusus imprimis ratione, dum
vel iisdem crebrius justo utuntur, vel aromaticæ & volati-
lia maxime sua faciunt. Tutius se agere credentes,
si præ sudoriferis illa quotidie assumant, quod singulis
momentis Virus pestilens, insensibili quamvis, magno
tamen, cum impetu corpori se insinuare & hominem
interficere queat: inter quos allegatum modo *Diemer-
bræckium* reperio, quando Antidotis quotidianis corpus
contra idem efficacius præmuniri contendit. Qualem
tanien frequentiorem ejusmodi pharmacorum usum Ex-
perientia maxime disuadet quod sub hoc homines a Peste
crebrius impetantur, aut gravioribus symptomatis, v.g.

G

Verti-

Vertigine, Somnolentia, affectibus hypochondriacis, &c. pro illorum varietate, premantur, aut contagio oppressi pejus longe se habeant. Multos perhibet Gieslerus de Peste Brunsvic. obs. 124. , cum nimis curiose pestem declinare & foribus suis arcere sategerint, in ipsa viscera traxisse eam, viribusqve ex immoderato prophylactico- rum calidorum usu fractis, admisso hosti resistere amplius haud potuisse : dum contra, secundum eundem auto- rem obs. 89. dici vix possit, quam belle se habuerint omnes, qui præservatoriis temperatis moderate usi sint remediis. Accedit, quod pleriq; hominum in ejusmodi medicamentis plus justo fiduciæ ponant, ut, si aliquid malignitatis sibi impressi sentiant vel augurentur, in his mere & sine discre- tione circumstantiarum acquiescant, hisq; salutem suam temere atque imprudenter committant, de vita non raro hinc periclitantes. In specie Theriaca, Mithridatum, Orvi- tanum, Camphorata similiaque ex farragine multiplici a- aromaticorani, volatilium seu calefacientium consarcinata non omnibus æque quadrant: ita ut vix adeo inepte ege- rint Gedanenses, dum, notante Medico quoam illius loci, in Literis ad Medic. Uratislavensem conscriptis Theriacæ divenditionem publicam interdixerunt. Paucis, quærit vulgus in ejusmodi rebus remedium seu salutem, a quibus morbus & interitus ipsis metuendi atque eveniunt.

§. LVI.

Tandem inter prophylactica, quæ Diæta submini- strat, moderationia corporis Exercitia referuntur, juxta Aristotelem, sicut quovis alio tempore, ita sub ejusmodi
Con-

Constitutione, Sanitatem conservantia: contra male sibi prospiciunt, qui gravioribus motibus & laboribus ad incalescentium ac delassationem corpus exponunt, vitandis maxime ad *Celsi Consilium*. Quod motus ejusmodi generosiores spiritus dissipent, Sangvinem exæstuare faciant & Respirationem cœbriorem reddant: a quali nihilominus in hoc casu cavere jubet *Hippocrates* atque *Ancennas*. Præ cœteris male sibi consulunt Infecti, quando motu similius intensiore ex agitatione venenum haustum discutere satagent: wollen es übergehen; qualium motuum exitiosorum Exempla *Giesleras l. a. obs. 58. & 99.* adducit, additque, se haud nosse quenquam, qui vel citissimo cursu, vel alio modo in aëre se exercendo, conceptum venenum dispulerit, inhærentiaque Pestis spicula, manente anima, ejecerit. Præter unicum, cuius *obs. 55.* commemorat. Servus sc. Civis cuiusdam, qui contagio se tactum sentiens citissimo pede haudque interrupto cursu extra urbem se abripuerat, post varias divagationes intromissus denuo, morbo & currendo lassus lecto se committit. In cuius hubitu hinc inde multi comparent Carbunculi, in ulcera sordida & profunda degenerantes, forte dum venenum conceptum, cursu abigere fategens, in exteriores magis partes excusserit. Quale quid Autor inde augurabatur, quod penes eundem edendi appetitus integer, nec ille de ullo alio symptomate conquestus fuerit, brevique sanus evaserit.

S. LVII,

Et periculi quidem hujus rationem duplicem concipere licet, vel quod in corpore, veneno pestifero jam op-

oppresso, mox omnes vires prosternantur & ferendo in-
sequentiam Symptormatum oneri impares dimittantur,
motu intempeſtivo ſimul diſcuſſæ: vel quod a motu ejus-
modi vehementiore, ad largiorem ſudoris profuſionem fa-
cto, in lectum tepidiorem ſe haud statim iecipient, & Cordi-
alibus atq; Alexipharmacis congruis refici patiuntur homi-
nes tales. Sub hoc quippe ſtatū pori cutanei, per curſum e-
jusmodi aperti, in aëre liberiore & motu ceſſante, minus o-
portune denuo occluduntur, ſicque reprimitur non ſine to-
tius Naturæ conturbatione id, quod prodire sanitati con-
ſultum erat: ſupervenit proin mox profundior ſomnus,
delirium, febris aliaque hujus generis triftiora phœno-
mena, ac tandem ipla mors omnia
ſolvens.

S. D. G.

